

possunt, quod ad inueniendas Eclipses uetustas accommodatissimum est:

Plurimum autem referret in Chronologia habere recte ordinatas Eclipses, & magnas Planetarum coniunctiones, qua in re, si Deus qui est fons uitæ, & sapientiæ, confirmabit huius corpusculi uires, & meos labores reget, moliar opus, quod & multis utile, & tibi Princeps Alberte iucundum fore spero.

Multæ omnibus ætatibus apud eas gētes, apud quas Arithmetices, & Geometriæ studia floruerunt, ut apud Phænices, Aegyptios, Chaldeos, deinde & apud Græcos, Siculos, Latinos, machinæ admirabiles geometrica ratione factæ sunt. Extructæ & munitæ arces, & turres, facti pontes, naues, portus, mole, tormenta bellica. Talia opera etsi in uita necessaria sunt, tamen durabilia esse non possunt, ut in uersu præclare dicitur.

Mors etiam saxis, marmoribusq; uenit.

Sed motuum tabulæ omnibus temporibus seruiunt, & perpetuæ esse possunt, & longè maiores utilitates uitæ adferunt quàm ullæ pyramides, turres, arces, aut Automata. Et tamen premia maiora mechanicorum artificum fuerunt, quàm eruditiorum, qui fontes doctrinæ, & motuum rationem generi humano ad omnem perpetuitatem conseruarunt.

Vnus Rex Alphonsus, in hac senectâ mundi, cum has artes ferè extinctas reuocaret in lucem, uidit non posse rem tantam perfici, nisi & multi coniungerent operas, & à republica sumptibus iuuarentur. Hunc scribunt in illas barbaricas interpretationes, quæ tunc editæ sunt, (meliores enim habere non poterat) & in tabularum constructionem contulisse, quadringenta millia aureorum. Hanc liberalitatem in re tam pulchra, & utili miramur, & magnitudinem sumptuum prædicamus, cum his proximis annis compertum sit non reges, sed multos Principes, quorum opes non sunt pares Alphonsino regno, maiorem pecuniam effudisse in ædificationibus inutilibus.

Celebrata